



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Vide vepes 1.4.c.8. de hac calumnia. n. 26.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

in Societate Nominis *Iesu* obsequium meum consecrare decreuissē. Quasi-  
 siuit à me de *Bulla Pij Quinti* quid sentirem? Regine, inquam, ma-  
 num in Catholicos grauem prouocauit multamq̄e expressit seueritatem.  
 Neque plura Cardinalis, praterquam quod mitigandam diceret, ita vt Ca-  
 tholici sine periculo centuræ eam possent Reginam agnoscere, eiq̄e obedire;  
 qui sermo quâ ratione possit in crimen vocari non intelligo; præsertim cum  
 ea *Bulla* aliquot ante annis quàm ego Romam venirem publica fuerit, totiq̄,  
 Regno notissima. Quod enim de exercitu *Pontificis*, seu Regis, & Ducis He-  
 ttruræ dicitur, cum Pragæ mihi esset habitatio longissimè ab omni huiusmo-  
 di rerum cogitatione abiunctus fui; præscriptis muneribus literarijs totus in-  
 cubui. Romam vocatus, octo diebus in vrbe cum hæsissem Superioris mei  
 præcepta operiens, accepi non de exercitu aliquid, sed de profectioe in An-  
 gliam mandatum; cui confestim obsecundans dedi me in istud iter, non vt  
 proditor, aut ad Patriæ euerisionem adiutor, sed vt Sacerdos, ad Sacramenta  
 administranda legatus. Cuiusmodi legationem (Deo teste loquor) æque  
 promptè, atque pari alacritate suscepissem in remotissimas Indiarum Regio-  
 nes, vt inter Barbaras nationes eandem quam vbique profitentur Catholici  
 fidem docerem. si ita visum fuisset Superioribus meis: At amplâ munitus fa-  
 cultate, sumptu *Pontificis* huc aduolauit. Quâ facultate munitus? Non aliâ sanè,  
 quàm eâ quam ipsi vos commemorastis, Sacramenta administrandi; sumptum  
 autem si fecit *Pontifex*, id liberalitati eius donandum, quæ aliam causam non  
 habuit quàm vt itineri pro Religione suscepto benignè succurreret. Cænasse  
 me de itinere cum *Alano* non inficior, tempusq̄e aliquod dedisse veteri con-  
 suetudini recolendæ; de Regine Regniq̄e negotijs nè verbum quidem inter-  
 cessit, aut de rebus in Hybernia turbatis. Quo vero colore dici possum *Pontifi-*  
*cis* in ijs quæ regni ruinam spectant interpret, aut *Alani* adiutor, cum illius  
 quidem auctoritate, quæ summa est, ab omni huiusmodi tractatione seuerè  
 prohibear; huic verò in me nulla sit omnino potestas? *Alanum* colo propter  
 doctrinæ Religionisq̄e firmitatem; ab instituto meo neque Imperio ipsius  
 quod nullum est, neque suasionē dimoueri me vnquam patiar. Habitus deinde  
 quem obijcitis, variumq̄e nomen, non tegendæ prodicioni seruiuit, sed primo-  
 rum Christi præconum mori imitando. Nam gentium Apostolus, modò  
 Saulus, modò dictus est Paulus: Ipse se clam subduxit in sporta, & insequen-  
 tium elusit insidias. Artes istæ non licere solum sed prodesse existimatae sunt  
 semper. Non fugiebat ille lucem, sed luci Euangelij inferendæ congruum tem-  
 pus & locum obseruabat: non defuit eidem animus vnquam pro fide Christi  
 vitam profundendi, appellauit tamen Cæsarem, nè à Iudeis insidiantibus nece-  
 retur. Quæ in illo probantur, mihi in pari causa non licebunt? si quid in ho-  
 losericis peccaui, nunc in ea quam videtis Hybernica veste, habituq̄e corporis  
 obsoleto perfoluo.

XXVI. Scripsi ad *Pondum* nihil me eorum quæ secreta esse oportuit pro-  
 palasse; nullâ me vi adigendum vt a cana huiusmodi enuntiare. At quænam

Vide  
 vesp. l. 4.  
 c. 8. de hac  
 calumnia.

M 4

illa

illa tam arcana? Ea sanè quæ Sacerdoti à pœnitentibus in Sacramento traduntur expianda: Sacerdos enim cùm sim, ijs omnibus officiis teneri me sentio quæ huic insunt ordini à prima sui institutione; quorum illud est inuiolabile, vt nihil eorum quæ ad conscientiam expurgandam sedandamq; inter confitendum dicuntur cuiquam alteri aperiatur. Hoc lex diuina imperat; hanc legem qui transgreditur grauissimi criminis atque æterni supplicij reum se facit. Maleuolorum hominum inuidentiâ de hoc crimine infamatus purgavi me per eas literas quoquo modo potui. Cùm de his quæritur, existimare quæstionem de Religione non esse, hominum est qui Religionis nomine quid notetur ignorant.

Quod autem tertio loco ponitur de schedis iureiurando inscripris perfacilem habet exitum; neque enim in me potestas vnquam vlla fuit iusiurandum à quopiam exigendi; neque si fuisset probari potest schedarum aliquam ad me pertinuisse; neque enim manu mea scripta est aliqua, neque signo aliquo meo notata, quò à me profecta dignoscatur: Id verò quod assertur de diuite & paupere eandem domum ingressis, quid habet vero simile? Enim verò cuius debuisse neminem præter me diuitem, hoc est, meæ Professionis nullum hominem eandem domum illo tempore lubijisse.

At iurare in Regiæ supremam potestatem nolui; de *Bulla Pij* rogatus taceui; & iure merito tacuisse me arbitror. Non sunt multi dies ex quo Regina pro sua insigni clementia me videre volens, quæsiuit an in illa agnoscerem Regiam dignitatem potestatemq; Respondi me agnoscere, & venerari, eamq; colere vt Regiam meam, legitimamq; Gubernatricem. At potestne *Pontifex* è numero fidelium me communionemq; depellere? Non sum, inquam, inter Majestatem tuam, summumq; *Pontificem* idoneus Interpres, aut tantæ Controuersiæ doctus satis arbiter: Quanquam si id ageret, dubitari possêt an teneret: In rebus enim purè, vt loquuntur docti, spiritualibus, quemadmodum in docenda publicè Ecclesia ea quæ ad fidem spectant errare non potest *Pontifex*, in iudicando potest. Eadem à me petiuere ij qui examini fute præfecti, sed verbis atque sententijs magis implicatis, quàm vt certò quidquam affirmare possèm: Quapropter non immeritò eas dixi sanguinarias Pharisaicasq; quæstiones. Agnoui in Regina Regiam dignitatem, iustamq; potestatem; eadem nunc agnosco. Falsus sum deberi illi à me subditisq; omnibus obedientiam; idem nunc fateor; libenter reddo ea quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Vrserunt Commissarij, quid si *Pontifex* legitimâ potestate munitus Regiam consortio fidelium abiungeret? Respondi qui ista quærent, non quærent fidem sed sanguinem: Ex admissis & concessis quid non sequetur? Itaque quid admittendum, quidue reiiciendum in ista re sit, supersedeo dicere; Neque iure huiusmodi à me peti possunt. Hæc ad scholas pertinent, non ad Tribunalia: nullum factum includunt, quod solum duodecim virorum cognitioni iuxta leges subest. Venio ad testes.

Cradocus affirmat de fœdere sancto, de Sacerdotibus ducentis, de exercitu,  
Quid

Quid affirmat? interfuisse se sermoni: quorumnam? otiosorum opinor hominum quorum est quidlibet fingere. Audiuit de fa d ere pro Religione reuocanda: ubi proditio? Et de exercitu: Quem exercitum vir militaris Richardus Shellæus ducere noluit, in eum ducenti Sacerdotes conspirarint? Atque ut conspirarint, egone de ducentis? Hoc testis ipse qualiscunque is est non affirmat: At nemini obsecro esse potest: Vnde hæc obsecro tanta lux, quæ cum illam is qui se ait interfuisse sermoni testis non viderit, in Angliam usque lucere potuit? Nam quod Eliottus vltimo loco adfert de die hæreticis formidando. Testem inuoco Deum, non alium menti diem obuerlatum fuisse, quàm vltimum illum Iudicij diem, qui omnibus, etsi non æque omnibus, formidandus est. Etenim quemadmodum nulla respublica tam Sancta est in qua multa mala non dominantur, & vestrorum Ministrorum nullus est qui diem formidandum diuinæ legis transgressoribus quandoque non intonet, eundem ego diem auditoribus meis in memoriam reuocaui, non in quo terrenus quispiam Princeps arma Regnum turbaturus inferret, sed in quo supremas omnium Iudex Christus Dominus unicuique pro meritis præmia digna redderet, vel supplicia. Hic magnus est ille dies quem credentibus salutarem pronuntiaui & solatiij plenum, heterodoxis futurum formidandum.

XXVII. Et quoniam ea quæ obijcebantur cuncta (si me non fallit memoria) complexus sum, & ad vos nunc Duodecimuires spectat, ut de facto nostro decernatis, utrum de Regina necesse, deue turbando Regno quidpiam meditati videamur, velim ut hunc, quem dixi, cunctis formidandum diem vos in primis præ oculis habeatis, quo die de hoc ipso Iudicio reddituri estis aliquando rationem. Vestrum neminem latet, quàm carus sit Deo innocentium sanguis; noster hic petitur: Vita nostra, vel mors in vestra sententia est: Conscientias vestras appellamus: in ijs patronum nos nullum arbitrum ue reperimus, nisi eam quam cuique vestrum Deus donauit discernendi facultatem. Animum obsecro ad rem aduertite: Non vos à vero auocent verborum phalera, aut eorum quæ splendide prolata sunt ornamenta dictorum. Integritati vestræ ingenijue non diffidimus. Criminatio tota tribus nititur fundamentis: Primum coniecturis, deinde testibus, tum ipsis rebus; quæ quidem res in hac causa omnes ad Religionis nostræ exercitium pertinent. Facile videtis quam vim habere debeant coniecturæ, cum præsertim de vita cuiuspiam atque de capite agitur; quæ in quæstione leges facti postulant certitudinem. At in coniecturis totus penè hic abiit dies, isque quàm tenuibus quamque sibi non hærentibus non potest vobis non esse perspicuum. Testes audiistis: At quales homines? quàm nullius fidei? dum palam est omnibus nullius esse Religionis: Modò fingunt Catholicam, modò profitentur à Catholicis alienam, ut odio aut lucro duci necesse sit. Quàm deinde timidè? Quàm parum fidenter iurauerit? Quàm nihil certi de certo quolibet af-

Peroratio  
ad Duodecimuires.

N

firmare